JESUS CHRISTUS.

ET quoniam in præsenti Causâ vertente inter Procuratorem Don Josephi Catala, & Valeriola Marchionis de Nules, & Procuratorem Don Ludovici de Borgia Ducis de Gandia in judicio supplicationis expediendo super eisdem Actis, non fuerunt talia deducta, nec allegata, propter quæ Sententia prolata in hoc Supremo Consilio die trigesima Decembris anni elapsi 1726., per quam diximus, dandam esse immissionem in possessionem Status, seù Marchionatus de Quirra dicto Procuratori Don Josephi Catala, & Valeriola Marchionis de Nules, veniat revocanda, & reparanda, seù in melius commutanda in nullo ex Capitibus pro parte dicti Ducis propositis in Schedula diei decimâ octavâ Januarij anni nunc fluxi 1727., super quibus petiit ex eisdem Actis reparationem prækalendatę Sententiæ; immò, attentis eius motivis, & meritis totius Causæ constat, illam esse justam, & rationi consonam, & veris rationibus fundatam: Idcircò, & aliàs, deliberationem, & conclusionem in hoc Sacro Supremo Regio Sardiniæ Consilio sumptam cum Voto Nob., & Magn. DD. Adjunctorum insequendo; Pronunciamus, sententiamus, & declaramus, benè fuisse judicatum, & non benè ab ea supplicatum, foreque, & esse confirmandam, prout cum præsenti eam confirmamus, non obstantibus quibuscumque in contrarium deductis, & allegatis tàm in voce, quàm in scriptis per Advocatos, & Procuratores dicti Ducis, & Partem succumbentem in expensis processalibus condemnamus, hanc &c. non obstantibus &c.

RICARDUS Præses.

V. Galceriny Fortesa Reg.	De Salutiis à Paesana Consiliarius.
Pastoris Mura Adjunctus.	Beraud Adjunctus.
Gazzelli di Selve Adjunctus.	Aguirre Consiliarius.

Publicata li 14. Gennaro 1728.

TAURINI, Typis Jo: Baptistæ Valettæ Impress. S. S. R. M.. 1728.